



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 2. Vtrum finis sit causa vt est in intentione, (vt insinuat D. Thom. in
resp. ad 1.) an vt est in verum natura.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Respondeo igitur, D. Thomam non loqui de adæquato voluntatis obiecto, hoc enim est bonum in genere complectens etiam bonum vtile, sed de obiecto principali. Obiectum enim principale est quod per se primò attingitur à potentia; vt, quod per se amatur, intelligitur, videtur, estque ratio cur attingantur reliqua. Hoc modo finis est obiectum voluntatis; quia finis per se amatur, & cetera omnia propter finem. Dicuntur autem media non amari per se, non vt illud per se opponitur ei quod est per accidens, sed vt opponitur ei quod propter aliud.

D V B I V M I I.

Vtrum finis sit causa vt est in intentione (vt insinuat D. Thomas in Responione ad primum) An vt est in rerum natura?

5 **O**missis sententijs, Respondeo & Dico Primò, Vt finis exerceat suam causalitatem respectu intentionis, non requiritur vt prius tempore vel naturà sit in intentione.

Probat, Quia esse in intentione, nihil est aliud, quàm esse intentum; sicut esse in intellectione, est esse intellectum: atqui esse intentum includit intentionem iam esse à fine causatam: ergo esse in intentione, non est quid præuium necessarium vt finis causet, sed est denominatio extrinseca proueniens ex effectu finis.

Dico Secundò, vt finis sit causa actionum à voluntate imperatarum, requiritur vt prius tempore vel naturà sit in intentione. Patet, quia finis non est causa vllius actionis imperatæ, nisi mediante intentione, cuius vi applicatur aliæ facultates ad suas operationes. Hinc patet, vt finis sit causa ipsius intentionis, solum requiri vt prius naturà existat in intellectu; vt autem sit causa aliarum operationum, requiri vt ante existat in intentione.

6 Dico Tertio, Ratio proxima causandi per modum finis, est bonitas ipsius, vt existit in rerum natura actu, vel potestate, vel certè opinione; conditio autem necessaria ad sic causandum, est, esse obiectiue in intellectu.

Explico, Sicut in causa efficiente prius naturà quàm causet, duo requiruntur; scilicet vis operandi, quæ requiritur tamquam ratio formalis per quam res est actiua; & applicatio seu propinquitas ad patiens, quæ requiritur tamquam conditio necessaria: ita etiam in causa finali duo requiruntur prius naturà, quàm vim suam finalem (vt sic loquar) exerat: nempe bonitas rei existens actu, vel potestate, vel putata existere. Et hæc est ratio formalis per quam finis habet vim finalem: & apprehensio huius bonitatis, tamquam conditio seu applicatio. Cum enim finis debeat vim suam exercere in voluntatem (nihil enim potest à fine moueri nisi voluntas) necesse est vt illi applicetur, & fiat præfens voluntati; sit autem præfens per intellectionem. Eadem duo distingui possunt in causa formali & materiali.

Nunc probatur prior pars, Quia voluntas non intendit finem vt eum intelligat, sed vt eius bonitatem realem possideat & sibi coniunctam habeat; vt patet cum quis intendit consequi sanitatem, diuitias, honores, volu-

ptates: ergo ipsa realis bonitas rei quæ dicitur finis, est ratio causandi per modum finis, non autem eius cognitio. Illud enim est ratio causandi per modum finis, quod est ratio cur voluntas ad illud moueatur.

Altera pars, Scilicet quod cognitio sit necessaria conditio, patet; quia voluntas non potest moueri seu trahi ab aliquo bono, nisi mediante intellectu, vt infrà dicetur. Et hoc est quod vult Diuus Thomas in Responione ad Primum.

Dices Primò, Bonitas finis sapè non existit; vt cum quis intendit consequi sanitatem: imò interdum est impossibilis: ergo illa non potest esse ratio realiter causandi. Patet consequentia, quia realis causa supponit esse reale in rerum natura; vt videmus in ceteris causis.

Respondeo Negando Consequentiam, Id enim peculiare est causæ finali, quod possit vim suam exercere etiam dum non existit. Ratio est, quia bonum possibile vel existimatum possibile, sufficiens est vt concipiatur intellectu, idque propter amplitudinem istius potentie, quæ se extendit ad omne possibile & imaginabile: existens autem obiectiue in intellectu, sufficiens est vt ratio bonitatis & pulchritudinis quæ in eo apparet, alliciat voluntatem in sui amorem; non enim voluntas minus latè patet quàm intellectus: vnde ad omne illud se extendere potest, ad quod se porrigit vis intellectus.

Nec obstat quod voluntas dicatur moueri & allici à fine: tum quia intellectus etiam dicitur moueri ab obiecto intelligibili: tum quia hæc motio est metaphorica, nihilque dicit nisi dependentiam actus voluntatis ab obiecto, tamquam à causa formali extrinseca, sine qua per intellectum apprehensa, voluntas non potest in se talem speciem actus efficere.

Dices Secundò, Pro varia apprehensione eiusdem obiecti mutatur in voluntate species actus. Si enim Deus apprehendatur vt bonum nostrum, est obiectum spei; si vt bonum suum, est obiectum charitatis; si apprehendatur cognitione naturali, est obiectum amoris naturalis; si per fidem, est obiectum amoris supernaturalis qui habetur in via; si per claram visionem, est obiectum amoris beatifici: qui omnes amores videntur specie distincti: ergo apprehensio non est conditio, sed ratio formalis obiecti.

Respondeo Negando Consequentiam. Quòd enim variatà cognitione varietur species actus in voluntate, ex eo prouenit, quòd per distinctam cognitionem distincta bonitas voluntati proponatur; distincta, inquam, vel re, vel ratione. Hinc tamen non sequitur cognitionem esse rationem formalem, non autem conditionem seu applicationem obiecti: eodem enim modo si quis eandem virtutem agendi diuerso modo applicaret patienti, diuersa esset actio; tamen applicatio est solum conditio, non autem ratio agendi. Vide Caietanum hoc loco.

Aliud est ratio causandi in fine aliud conditio necessaria ad causandum. Similiter in ceteris causis.

Variatà cognitione, varia est species actus voluntatis.

DVBIVM III.

ARTICVLVS II.

Virum verum si quod dicitur in responsione ad secundū, Impossibile esse ut actus à voluntate elicetus sit vltimus finis?

Virum agere propter finem sit proprium rationalis naturæ?

8 **V**idetur enim esse falsum; quia potest quis vltimum finem constituere in delectatione spiritali, quæ est actus voluntatis. Et quidem de actu amoris & desiderij, non est dubium; quia hi actus non expetuntur nisi propter obiectum, vt illi inhæreatur. Solum difficultas est de gaudio, quod est actus quidam voluntatis vltimo resultans ex bono adeptio; vnde videtur posse esse vltimus finis seu vltimum appetibile.

Sed etiam si gaudium propter summam suauitatem quam secum adfert, & qua formaliter afficit voluntatem, dignum sit quod per se expetatur, tamen non potest esse vltimum expetendum.

Cur gaudium spirituale non possit esse vltimum expetendum.

Ratio est, Quia etsi gaudium sit vltimum bonum quod resultat in animo, non æstimatur tamen esse principale & præcipuum bonum & maius enim bonum censetur possessio illius obiecti, quæ est fons gaudij, quam ipsum gaudium: vnde reuera illud gaudium est propter bonum possessum tanquam propter finem; vt supra dictum est.

Potest quis sibi voluntate carnis expetere vltimum, vt patet in Epicureis.

Secus est de carnali delectatione; hanc enim potest quis sibi constituere tanquam finem vltimum, seu tanquam primum appetibile; quia cum hæc delectatio oriatur ex rebus infimis nullam excellentiam habentibus, ob quam expetantur seclusa delectatione; tota, vel certè principalis ratio appetendi illam, est ipsa delectatio: vnde delectatio ipsa æstimatur vt maius bonum & principalius, ad quod consequendum illa appetantur veluti media.

Hinc patet verum esse quod ait D. Thomas, si qua actio humana sit vltimus finis, ipsam esse imperatam à voluntate: nam hæc delectatio est actus imperatus.

Dices Primò, Ergo verum non est omnem actionem humanam esse propter finem.

Respondeo Negando Consequentiam, Nam ista delectatio quatenus est actio humana, est propter seipsam, vt est passio; idè enim illam vult elicere, vt eius suauitate afficiatur. D. Thomas autem nihil vult aliud quam in omni actione libera aliquem intendi finem, siue extrinsecum siue intrinsecum; quod fit, quando quis vult delectationem propter seipsam.

Dices Secundò, Vltimus finis est visio Dei, tamen hic actus non est imperatus: ergo non est verum si actio humana sit vltimus finis, illam esse imperatam à voluntate.

Respondeo Negando Consequentiam, Quia visio Dei non est actio humana; non enim subdita est nostræ libertati; sed est actio supernaturalis, quæ per modum naturalis operationis elicitur, nempe necessario: loquitur autem D. Thomas de vltimo fine quem homines sibi constituunt, qui semper est aliqua actio humana.

Conclusio Prima, Omne agens generali quadam ratione dicitur agere propter finem, quatenus per suam actionem tendit ad aliquid determinatum, quod est finis illius operationis.

Conclusio Secunda, Sola natura rationalis propriè dicitur agere propter finem; quia cognoscit & seipsum mouet in finem.

Notandum, Tria esse rerum genera: *Ratione prædita, sensu prædita, ratione & sensu carentia.* Horum omnes operationes tendunt ad aliquid determinatum, quod est finis cuiusque operationis.

Sed sola ratione prædita propriè dicuntur agere propter finem; idque ob duas causas. Prima, Quia sola cognoscunt rationem finis & mediociorum, id est, obiectum propositum esse per se conueniens & propter se appetendum; & hæc media esse vitia ad talem finem. Secunda, Quia sola se determinant ad suas actiones, idque ex vi cognitionis finis; vnde non solum operantur propter finem, sed etiam seipsa mouent & agunt in finem.

Ob duas causas.

Sensu prædita seu bruta non ita propriè agunt ob finem: tum quia nullo modo cognoscunt illud bonum, quod est finis operationum; tum quia penitus à natura sua siue à Deo sunt determinata ad suas actiones. Itaque aguntur in finem, sicut sagitta in scopum.

Hinc sequitur Primò, Omnes & solas actiones proprias naturæ rationali, quatenus à tali agente procedunt, fieri propriè & formaliter propter finem: quia hæc omnes & solæ procedunt ex formali cognitione finis.

Secundò, Actiones aliarum rerum, vt procedunt ab ipsis rebus, non fieri propriè & formaliter propter finem; quia causa finalis non exercet in ipsis propriè vim suam, cum eam non cognoscant, & finis non exerat vim suam nisi cognitus: tamen quatenus eadem actiones subsunt directioni diuinæ, & quodammodo à Sapientia diuina procedunt, sic propriè sunt propter finem. Duplici autem ratione illæ actiones procedunt à Deo: Primò, Ratione virtutis actiue per quam fiunt: Deus enim per suam sapientiam, ac proinde ob certum finem, omnem vim agendi quæ est in creaturis, instituit, formauit, & conseruat. Secundò, Ratione concursus generalis, quem Deus ad singulas operationes, ob certum finem exhibet. Ratione prioris dependentiæ, omnes actiones rerum fiunt ob finem certum; sicut motus sagittæ fit ob certum finem. Sicut enim cum Sagittarius ob certum finem imprimit sagittæ impetum ad motum, ille motus prouenit ex vi impressa, & consequenter ex intentione sagittarij: ita Deus, quia singulis rebus impressit vires ad certos fines, operatio manans ex illis viribus, manat ab intentione Dei, & sine à Deo concepto, adeoque illi, vt auctori, adscribenda.

Omnis rerum naturalium operatio ut est à Deo, fit ob certum finem, tum proprium rebus, tum communem.

Actiones rerum duplici modo pendenti à Deo.